

Bibliothèque numérique

medic@

**Desbois de Rochefort, Louis -
candidat / Macquer, Pierre-Joseph -
président. - An in Diaetâ lacteâ
tonicorum usus ?**

1773.

***Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337 n°19***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax16x0019](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax16x0019)



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS,
*manè discutienda in Scholis Medicorum, die Veneris vigesimâ sextâ mensis
Martii, anno Domini M. DCC. LXXIII.*

M. PETRO-JOSEPHO MACQUER, è Regiâ Scientiarum Academiâ,
Censore Regio, in Horto Regio Chemiæ Professore à Rege desi-
gnato, &c. &c. Doctore Medico, Præsede.

An in Diætâ lacteâ tonicorum usus?

I.



LONGÈ jàm à terris fugit exul perfecta, ex omni parte, sanitas; suum quisque habet quoddam morbi genus quasi proprium & perfectissimâ sanitate gaudere dicitur ille quem numerosa minus sequitur malorum cohors; sæpissimè enim ab origine vitiatum homo, è sinu materno prodit, in peregrinis lactis fontibus immergitur vitian- dus potius quam à sorde mundandus; morborum itaque mittunt femina vitiosum cibi genus, fasciarum, loricarumque methodus naturæ prorsus infensa; undè felicibus medicinæ armis, ad juvenile illud æquor pervenit, ubi à debacchantibus libidinum morborumque procellis, vix fugit, offe- renda cito senectuti mortique victima.

Ex his patet unicum esse Hygieines munus, ut morbos in temperie tanquam in semine latentes, & facile excitandos præcaveat; generalia ergò præcepta tradat tantummodò medicinæ illa pars utilissima, sed desertissima; sua cuique de- bet esse vivendi ratio; cibos autem qui plurimis competunt præscribat diætâ medicatrix; convenit itaque lac pueris, juvenibus, senibus, viris & fæminis: sup- puratoriâ, scorbuticâ labe, omnique humorum acredine laborantibus: convenit & iis quos minitatur, vexatve rhumatismi vagum gentis, arthritisque sæva bac- chi venerisque filia, convenit hominibus hæmophtisi, pthisi, quasi à naturâ Damnatis, hominibus exhaustis & vix digestionis bono utentibus, sed proh Do-

lor ! Bonorum fons refilit in nocentes undas , à pravâ ejusdem digestionè inuri mali labem frequentior probat usus ; undè eo convertantur medicorum tentamina ut succedat , quam potest , innocuus . Nullum autem præsentius esse tonicis auxilium evincunt ratio & experientia , quod probant insuper lactis natura & analysis .

I I.

LAC est humor pinguis subba albicans , nullius ferè odoris dulcisque saporis , in quo neque acidi neque alkalini quidquam gustus deprehenditur ; in animalium mammis fæmineorum maximè prægnantium secretus , pessimum autem læsæ virginitatis index .

Lac ex animali sano extractum proprietatibus emulsionem refert , seu oleum cum aquâ mediante mucilagine unitum , ita ut nullum sit arctum olei cum aquâ connubium , undè color opacus , facilis & quasi spontanea decompositio ; si per aliquod temporis intervallum aeri exponatur libero , oleosa pars superius ascendit , aquosa salium vehiculum medium tenet , mucilaginea oleosæ crassiori , salinæque substantiæ immixta fundum petit , undè ut accurata nobis habeatur lactis analysis , triplex illa substantia seorsim examinanda .

Lac acidis coagulatur , citius quidem vitriolico , deindè nitroso colorem rubrum afferente , postea marino : idem accidit ex alcalinorum spirituosorum liquorum miscelâ , sibi met ipsi derelictum acefcit . Si distillationi subjiciatur , apparet tantummodo phlegma quod , urgente distillatione acidulum evadit , dein oleum , cui sal alkalinus volatilis inhæret , remanet substantia carbonacea quæ pulverisata præsefert characterem salis alkalini fixi ; evaporatâ autem solutione oculis sese offert cum sale marino .

Materia butyracea quæ extrahitur ipsâmet decompositione duntaxat est oleum dulce , nullius etenim est odoris ; ex eo , prudenti distillatione interrogato , prodit aqua lactis odore imprægnata . Aucta vis ignis acidum detegit , deindè oleum cuius tenuitas est in ratione distillationum directâ , in spiritu & aquâ indissolubile , tempore , calore acefcens putrefactionem denique subit .

Substantia caseosa , glutinosa verè est in quâ adest terræ copia salis animalizationis caractere donato unita , referens optimè gluten in farinâ nupèr detectum , in omni regno vegetabili juxta celeberrimum chemistam *Rouelle* in diario Medico hujusce mensis reperiendum .

Serosa pars quæ obtinetur , coagulatâ butyrosâ caseosâque substantiâ continet tenue oleum cum mucilagine unitum , undè latici aquoso miscibile , dissolvitur in ferro multiplex salium genus , undè sapidum ; adsunt sal alkalinus fixus mineralis , marinus , lactique essentialis : sal alkali fixus probatur eo quod evaporatâ serosâ parte sicque majori gaudens energiâ , viridi colore cæruleum violarum syrupum tingat ; probatur alkali mineralis quia si serosæ parti injiciatur acidum vitriolicum efformatur glauberianum sal , si nitrosum , nitrum reverà cubicum quod carbonibus impositum fusioni producendæ minimè est impar ; sal marinum deprehenditur mediante gustu ab omnibus huic salis cognito . Sal essentialè lactis nondum benè exploratum , juxta tamen D. *Rouelle* loco suprâ citato , sal febrifugum sylvii alkalique fixum continens , juxta verò D. *Baumé* cremori tartari analogum , si tamen characterem acidum excipias ; corpus verè est mucosum , undè lactis saccharum nuncupatur , idem est ferè sapor , idem odor quando carbonibus imponitur cognitus sub nomine *caramel* , eadem fermentationis concipiendæ proprietates , ut tartaris comperta , qui populorum omnium moribus obsecuti eo cum liquorem fermentatum præparant . Ea est igitur lactis indoles , analysis , chymicis experimentis probata , quodque omni viventi in hunc modum affert provida semper natura , ut alimentum & medicamentum , ubi maxime puerilem simulat aut revocavit ætatem

morbus longiori temporis spatio depascens, viresque sensim sine sensu exhauriens. Sed ut profit digeratur; hoc opus, hic labor. Commune hoc fere omnibus alimentum & medicamentum paucissimis convenit ex ipsius digerendi difficultate.

I I I.

EODEM similique mechanismo deglutiuntur quaecumque ingeruntur, sed pro sua quæque indole digeruntur diversimodè, ut unum semperque eundem effectum producat semper & ubique una & simplex natura. Id omnibus commune ut deglutita in ventriculo, terantur, dividantur, decomponantur, ut deinde in chimaceam dein chilosam materiam coalescant cujuscumque fuerint quæ digeruntur, naturæ aut profapiæ. Lactis decompositio facilis & quasi spontanea, at recompositio difficilis & fere nulla, nisi prompta sit & fere subitanea; siquidem, ex prius observatis circa lactis indolem, partium unde componitur, unio fere nulla interse, partibus enim ex se non uniendis oleosis nempe & aquosis fit, unde facilis & prompta aeri libero degeneratio, omnium fere corporum liquorumve vitatur corrumpitur sive ex acidorum fuerint, alkalinarum spirituosorumve familia, quæ fere semper in ventriculo obvia sunt, sive ex parte humorum digestivorum sive suam naturam servant sive, quod frequentius est, alienam degenerando acquisiverint; sive ex variorum alimentorum inter se discrepantium aut etiam repugnantium, in se se invicem diversimode agentium miscellâ, sive ex ipsius ventriculi imbecillitate laxitate, infirmo aut debili tono, sive tandem ex cacochymia biliosa acris, acidæ, inodorosæ in ventriculi cavo nidulantis actione. Hinc ab omni ævo solemnè lege apud medicos institutum est, ut ante omnem lactis usum purgantia imò etiam vomitum scientia prescribantur. Si quod virus humorve peccans in corporis œconomia dominari animadversum fuerit, quam primum idoneis remediis diluatur, dometur, corrigatur, emendetur; secus alimentum optimum & quasi ex naturæ voto prescriptum, non vitam, non sanitatem restituet sed morbos procreabit aut pariet, sed langores, sed mortem denique. Inter lactis usum similiter & prudenter cautum est ut, sin minus solum lac usurpetur, saltem, ipsi analogis & fere similibus principiis constantibus alimentis, si quid necessarium fuerit, suppleatur. Intereaque, lenibus tonicis, roborantibus leni astrictione juvantibus ventriculo tonus, robur concilietur, ut inde quàm promptior, quàm faciliior, quàm perfectior fiat lactis coctio digestio, & in nutrimentum cedat numeris omnibus absolutum.

I V.

HANC omnem paginam implent tonica, maxime quæ simul leni amaritie & astrictione donantur; hæc etenim partim volatilem naturam tenerrimam, mobilissimam, spirituofo-oleoso phlogistæ indolis ut celeb. Cartheuser verbis utar; partem fixam substantiam obtinent vel resinofam, vel gommosam, vel gommeo resinofam saponaceæque naturæ. Substantia autem spirituofo partibus suis salino spirituosus volatilibus, fibrarum ventriculi tonum leni stimulo exsuscitat, calorem, circulationem intendit, secretionem promovet, promptior perfectiorque sit digestio ex humorum digestivorum uberiori proventu, fibrisque ventriculi addito robore & actione; fixa interea, quam diximus, substantia salinogummo resinosa quidquid glutinosum, pingue aut solito spissius fuerit, potenter incidit, attenuat, dividit, unde nova accedit secretionibus activitas, uberior secretio, humorum deputatio: lac autem his tonico spirituosus mixtum aquosis partibus quidquid acre diluit, oleosis inviscat, unde nulla his jam actio. Hinc toti œconomia animalis pax æquilibrium quoddam ex intimâ principiorum mixtione & solidorum reactione in se se invicem resultans, conciliatur.

Hæc, quæ theoria docet, confirmat experientia rerum magistra. Vernale etenim

lac præstantius prædicant practici, tunc enim quasi reviviscit natura, opes suas profundit tellus, lacque fit eximiorum quibus turgent plantæ succorum vehiculum. Præ cæteris laudatur lac asinum, caprinum deinde vaccinum forsan, quod cuique obvium; quod enim dat animal non stupidum, non hebes, sed spiritibus fervens, exercitatum, fibrâ gaudens rigidâ, hoc intimâ partium combinatione, tituratione perfectius censeretur debet, gratiora etenim roris ad instar effluvia exhalat, maxime si herbâ aromaticâ, tonicâ vescatur animal; qui quidem ros lætificans sedulo servari curat medicorum chorus, continet enim lactis spiritus volatiles, unde levitate pollens, faciliorem promovet lactis digestionem. Hinc forsan egregii effectus quos lac producit quod, distento ubere offert ipsummet animal quasi ostiatim: ubi, benigno hoc rore dives tepens adhuc ebibitur; hinc lac vaccinum ipsum quod in urbibus digeri non posset, rure, his servatis conditionibus, optime digeritur. Hinc aliquando, ubi hominibus ita venere, licitâ aut illicitâ exhaustis, senibus ita effœtis, ut nulla jam functio in ventriculo; juvenili ubere vires redeunt fere ex incantamento, nisi intempestiva venus denuo renascentes frangat.

His observatis fidens in pthisi cum lacte equitationem jussit Anglus Hippocrates: sic felici successu cum lacte immiscentur corticis Peruviani decoctum, aromaticorum, vulnerariorum infusum, aquæ minerales ipsæ, imo succi plantarum acrium, acidarum etiam, quæ ex solis experimentis chymicis repugnare videntur, sic elixirium vitrioli in diætâ lacte commendat celeb. *de Haën*: spirituosum acidum liquorem *punch* dictum cum lacte usurpare non dubitant Angli; fermentatos haustus cum lacte consociare amavit Sydenhamus; vinum ipsum epotato lacte ex adagio confert, prescribuntque vini quid generosioris, puta Hispanicum, Malvathicum & aliud hujusmodi, quodcumque fuerit, modo sincerum, modo optimum suadent non infirmioris notæ practici.

V.

FRUSTRA quis objecerit, tonica lacti maritata nocere ex se & naturâ suâ in plerisque circumstantiis in quibus locum habere potest lac. Nempe ubi grassatur febris arida, solida depascens, ut voluit Galenus quæ vere hæctica est, ubi suppuratoria lues internas partes infestat: in hisce casibus necessario irritant tonica, malum augent & lac additum hæc mala minime precavere potest. Est. Sed hujusmodi febris hæctica lac requirit non contra indicat & tonica ipsi superaddita minime nocere possunt, siquidem quidquid ipsi acre falsumve fuerit obtunditur & solida potius laxantur quam irritantur; in suppurationibus internis detergunt ulcus, pus per varias secretionum vias eliminant, febrisque, sublatâ causâ tollitur. Dum interea digestionem vires addit hujusmodi mixtio, fit chylus perfectior vitam, sanitatem ubique disseminaturus, quod minime præstare potest absorbentium usus, quæ gravando stomachum digestionem officiunt, fluida inspissant, obstructions augent, nisi quid alkalini fervent. Hinc eo nomine attenuando fluida, leniter titillando solida, aliquâ ex parte, tonicorum vices gerere possent sed per accedens non ex se & naturâ suâ. Unde concludemus ratione & experientia ducti.

Ergò in Diætâ Lactea tonicorum usus.

Proponebat Parisiis LUDOVICUS DESBOIS DE ROCHEFORT, Parisinus,
Eques, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus,
A. R. S. H. 1773, à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.